Universitätsbibliothek Paderborn

Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi (dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris succinctim complectens

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quae sint sigilla, vt certus sim de remissione peccatorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Visual Library

pter Chriſtum filium ſuum, & tibi quoq; ſuum diſtri
buat beneficium. Quòd ſi ad tua opera & conditio-
nem reſpexeris, nunquam certus eris de remiſſione
peccatorum, neq; ex corde credere potes, quòd om-
nia tua opera ſunt imperfecta: at conſiderato Chri-
ſto, verè appræhenditur & creditur remiſſio pecca-
torum: non igitur longa peregrinatio, aut alia id ge
nus opera te certificant de remiſſione peccatorum,
ſed Chriſtus, licet in alium finem hæc opera nō ſunt
reijcienda.

Secundò, quoniam Deus non vult coli dubitante 2.
conſcientia, vt certus eſſet homo de remiſſione pec-
catorū, nec dubitaret, appoſuit Deus ſuę promiſſio-
ni quòd noſtri vult miſereri, & remittere peccata pro
pter fidem in Chriſtum, Ioan. 3. duo ſigilla: primum
eſt ſcriptura ſacra, cui eſt impoſſibile quòd mentia-
tur, eò quòd os Domini ita locutum eſt, qui eſt ſum-
ma veritas, Ioan. 14. Eſa. 53. Poſuit ſuper illum om-
nia peccata noſtra, Epheſ. 1. Per Chriſtum habemus
redemptionem per ſanguinem ipſius remiſſionem
peccatorum, iuxta diuitias gratiæ ſuæ Romanor. 5.
Iuſtificati ſanguine ipſius, & Actorum 13. Per hunc
Chriſtum annunciatur vobis remiſſio peccatorum,
& ab hominibus à quibus non potuiſtis per legem iu
ſtificari: per hunc omnis qui credit, iuſtificabitur: to-
ta enim ſcriptura teſtis eſt, probans & teſtificans,
quòd certò per fidem in Chriſtum acquirimus remiſ
ſionem peccatorum: & vt ea certa ſit, à nobis & no-
ſtra dignitate operum vel iuſtitia transfertur in Chri
ſtum, vt certi ſimus quòd propter illum Chriſtum,
qui eſt tota iuſtitia, remiſsionem conſequamur, Ro-
man. 4. Ideò ex fide, vt promiſſio ſit firma. Qui er-
go ſcripturę non credit, Deum mendacem facit: eſt i-
gitur primū ſigillum certitudinis de remiſſione pec-
catorum ſcriptura, vbique Chriſtum teſtificans eſſe
cauſam remiſſionis peccatorum credenti. Alte-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rum ſigillum remiſſionis, baptiſmus eſt, in quo pactum tecum fecit Deus, vt quoties ab illo petieris miſericordiam, quòd tibi illam propter Chriſtum vult exhiberi, non ſemel aut bis, ſed ſeptuagies ſepties, Mat. 28 & tu homo iterum pactus es cum Deo, quòd velis eſſe ſubiectus illi, & renunciare diabolo, viuere & ſeruare illius præcepta, & non ſathanæ: ideò dicit Apoſtolus Rom. 6. Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: illi profeſſionem feciſtis. ecce alterum ſigillum habes, ſcilicet baptiſmum, quod te certificat, quòd Deus tibi velit eſſe miſericors propter Chriſtum. At inquis: Ego pactum meum nõ ſeruaui, ergo nec Deus ſuum pactum & promiſſum ſeruabit, Reſpondetur, Non eſt Deus ſicut homo: ſcriptura teſtatur, quòd verax eſt in æternum. Rom. 3. Ioan. 3. & quòd impoſſibile eſt Deum poſſe mentiri, Hebr. 6. Ideò Deus non mutatur, ſed ſemper manet verax & ſibi conſtat. Quare vſq; ad diem mortis tuæ ſtat pactum ex parte Dei, & ſi tu cecidiſti, attamen, Deus & eius promiſſio atque baptiſmus adhuc ſtat: modò tu ſolùm redeas per pœnitentiam, reconciliare Deo, & confirmabitur priſtinum & primum pactum baptiſmi: redi ad fœdus, ad pactum, & conſequeris certò remiſſionem. Baptiſmus ergò ſignum eſt, quòd certa ſit remiſſio peccatorum.

3. Tertiò, hoc quoque cum magna diligentia notandum eſt quòd Chriſtus ſemper nectit pœnitentiam & remiſſionem, Luc. vltim. Marc. 1. vbi vult quòd fides remiſſionis nulla eſt, vbi non quoq; eſt pœnitentia, ceſſatio à peccatis, & bonæ vitæ conuerſatio. Non omnis qui dicit, Domine Domine, introibit in regnum cœlorum, Matt. 7. Quare carnales illi qui ſine pœnitentia & ceſſatione à vitijs, iactant fidem remiſſionis peccatorum: illi errant, & non conſequuntur eam: at etiam illi qui putant conſequi remiſſionem propter ſuam dignitatem, merita & iuſtitiam, & non

propter